Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & S. Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE JOVIS XIV. FEBRUARII.

M. HENRICO MAHIEV, Doctore Medico, Præside.

Vivunt ne longius ac felicius qui juniores ineunt connubium?

VITA unione animæ cum corpore definitur: ſtat permanſione calidi in humido: definit extinctione caloris; hinc mors ut vita naturalis. Quibus hæc à Deo conceſſa; illi ſuccumbant vel inviti neceſſe eſt: nec mors ullo ærario redimenda; antiquos extulit, nos quoque trudet: omnibus enim calcanda ſemel Lethi via. Aliorum tamen ocyùs, aliorum feriùs verſatur ſors. Paucos (quos æquus amavit Jupiter) interitûs tantum tarda neceſſitas deducit ad tumulum; nec hos ſolum longiùs vivere credas, ſed eos quoque, qui per omnes ætates decurrunt, licet non neceſſitate naturæ, ſed vi morbi intereant. Hanc metam attingunt qui junioribus orti parentibus, à conceptu plurimum humidum primigenium & viſcera robore præſtantia obtinuêre, ut hinc minùs morbis ſint obnoxij: qui parco victu proventum vitant excrementorum, & quod habent ſuperfluum ex naturæ lege, planè deponunt: qui nec otio torpent, nec duro labore franguntur; qui ſalubrem ducunt aerem, nec ſomno diuturniori refrigerantur, nec immodicis vigiliis ſicceſcunt, & animi motus norunt ita comprimere, ut illis non ſerviant: qui venerem ita temperanter exercent, ut tamen affectibus ex ejus abſtinentiâ naſcituris minimè tententur; ijs vitæ curriculum contrahi ſæpiſſimè contingit, ab iis liberi ſunt qui juniores ineunt connubium.

QUAM innumeris moleſtiis vita ſit aſperſa nemo non experitur, ut hos felices etiam exiſtimemus qui paucioribus afficiuntur. Divitiæ quidèm aſperitatem vitæ non nihil deliniunt, non hinc tamen divites beatiores, unde gravioribus curis diſcruciantur: dum implicantur multitudine negotiorum, & jurgiis vel ſimultatibus torquentur. Hunc felicem crede qui ſuis facultatibus contentus iis benè utitur: domi tranquillam degit vitam, nullas foris pertimeſcit inimicitias: ab omni animi mœrore liber eſt & ſolutus, blanditiis voluptatum delinitus, iis tamen non corrumpitur, ſed ſi quam capiat ſenſibus jucunditatem, virtuti & ſapientiæ præcipuis animi dotibus poſtponit; verbo dicam hic ſolus felix, cui omnia proſperè procedunt. Talem reperire non eſt, ad quem qui propiùs accedunt, hos feliciùs vivere judicamus. Quales non ſunt, qui ſibi ſolis vivunt, & inſtar μισανθρώπων ſolitariam agunt vitam, agros & vias incultas perſequuntur, ut ab omnium oculis removeantur. Natura ſolitarium nihil amat: & ut cuncta etiam inanima, quæ in rerum naturâ conſtant, concordi quadam amicitiâ & charitate, ad totius mundi pulchritudinem & permanſionem conferunt, ſic & homines ſibi mutuum præſtare debent officium. Melius eſt duos eſſe quàm unum, habent emolumentum ſuæ ſocietatis, ſi unus ceciderit ab alio fulciatur. Quid miraris ergo, quòd qui ſtrictiori amicitiæ vinculo connexi ſunt, nihil moleſtiùs ferant quàm à ſe invicem fatali interitûs lege disjungi, nec deſint qui cum amicis cupiant efferri? ſociorum omnia communia: nec quicquam eſt tam naturæ aptum, tam conveniens, ad res ſecundas vel adverſas, quàm ſocietas: hæc quæ circumſtrepunt vitæ incommoda partiens, communicanſque leviora reddit, & rebus proſperis modum ponens, eas ſplendidiores facit: ut hinc jure concludas nihil eâ potius eſſe, quod ad vitæ felicitatem conferat.

NULLA ſocietas venit æſtimanda quæ jure amicitiæ non foveatur. Hæc in bonis ſolùm eſſe poteſt, quâ ad beatè vivendum, nihil præſtabilius nihil jucundius comparavit ſapientia; mutuâ benevolentiâ conſervatur, nulla eſt ſimul atque ſibi aliquid quàm alteri quis maluerit: quam ſimulant improbi, non eſt amicitia, ſed potiùs mercatura utilitatum ſuarum. Multæ quidem & variæ hominum ſocietates integro amicitiæ fœdere conſtant, ſed omnium maximè quam ineunt conjuges. Nec enim ſolùm omnium conſiliorum & voluntatum pari conſenſu (quo nullum certius amicitiæ vinculum) ſed bonorum ac etiam ipſius vitæ communitate continetur; quæ & eo potior eſt & utilior, non minùs ad vitæ beatitatem quàm ad longævitatem, quò ſunt juniores qui eam contrahunt mas & fœmina, quorum par in venerem ardor. Hi longè feliciùs quæ ſunt in connubio deliciis fruuntur, venerem ſuaviùs exercent, ex mutuo amplexu, permixto utriuſque ſemine, utroque fœcundo, prolem vivaciorem ſuſcipiunt: in his indolis ſimilitudo faciliùs deprehenditur, occurrit morum conformitas, naſcitur ſtudiorum conſpiratio, mutuum ſubſequitur auxilium, mutuus amor nutritur. Quæ quantam vim habeant ad feliciorem & diuturniorem vitam, ſciunt omnes qui vitæ commoda & incommoda diligentiùs perpendunt.

VENEREM quantùmvis exprobrent & vehementer inſectentur moroſiſſimi quique, ac tanquam vitiorum ſeminarium fugiendam velint: vix aliquem reperire eſt, qui eam aliquando vel furtim non delibarit, vel occultè non auſcultaverit. Huic divites parent, huic vota faciunt pauperes, huic colla ſubmittunt, qui omnium gentium populos ſibi ſubjicere, & legibus aſtringere contendunt: huic nec ſemper refragantur, qui ſolent perpetua celebrare nephalia. Adeo blandum res venerea malum eſt! (quod accuſare facilius quàm vitare) ut ſibi & naturæ vim aliquam feciſſe is videatur, qui ab ea abſtinuerit ex inſtituto vitæ ac virginitatis propoſito, quò Deo fieret acceptior. Non perinde omnes exercet ἀφροδίτη: Cujus vires augent ætas & temperamentum; vix ante annum ætatis decimum octavum ejus tyrannidem experiuntur mas & fœmina, nec prius niſi cum vitæ detrimento ad σύμμιξιν veniunt admittendi. Qui virilem ætatem attigêre, vel venerem explendo huic uni ſerviunt: vel multitudine negotiorùm impliciti, aut etiam ſtudio ſapientiæ toti addicti illius jugum excutere aſſueſcunt, eo quidem faciliùs quòd jam in veſiculis rarò tumultuetur ſemen. Hoc in ſenibus frigidius, quos proinde cupidinis ſtimulis obnoxios vix credas. Soli juvenes in quibus potiſſimùm ſemen redundat, ἀφροδίτης non impunè recuſant imperium: tum maximè ſi fuerint ſucculenti ſanguinei, & juſto temperamenti modo donati, quos, viros perinde ac fœminas videas nonnunquam ſtupendis ac immanibus divexari ſymptomatis, ut etiam lucis uſuram amittant, cum eam aliis conferre nolunt, aut prohibentur. Tunc enim ſemen propriis in conceptaculis turgens & ebulliens (quod nec natura ſemper regit, nec reprimit labor, nec coercet ἀσιτία, nec ὑδροποσία reſtinguit) niſi licita venus minuerit, cœcâ putredinis labe inficitur; ſæpe & ferinam inducit qualitatem, ac veneni vires obtinet. Tum virginem decolorat pallor: Icterus adoleſcentem; hic corruit quaſi epileptico laceſſitus inſultu: hæc hyſtericâ ſuffocatione corripitur. Totum corpus languore conficitur; pudenda tenſione, dolore, priapiſmo, gonorrhœâ, & urinæ ardore affliguntur; nullo cibi deſiderio tangitur ſtomachus; laborat cor lipothymia, ſyncope, febre; quin & mali labes ad cerebrum propagatur: vertigo, ſtupor, cephalalgia, aphonia, incubus, furor, melancholia, ſeminis immodicam ſuppreſſionem conſequuntur. Hos ſimileſve affectus, nec tutiore nec jucundiore præſidio quàm connubio præcavebit quiſquam: ut mirum non ſit, vitâ lætiori ac diuturniori eos frui, quibus promptæ paratæ fuerint nuptiæ, non minùs mari quàm fœminæ ſalutares.

QUI meretricum potiùs quàm uxorum amplexu delectantur, vitant quæ connubii neglectum ſtudium graviora accerſit ſymptomata: ſed meminerint non leviora ex ſcorto mala pertimeſcenda, nec ſolùm fortunarum nimias ruinas, vel totius corporis cladem horribilem induci: ſed & ipſam animam trahi ad perniciei conſortium. Inflammato animo veneris delicias flagitioſi concupiſcunt, uni libidini ſervientes! iis nunquam fruuntur; petulantius ruunt in complexum! furore, metu, aut ſimili commotione, ac σωφρέσει cruciantur; nec credas liberos præclaris animi dotibus illuſtres naſcituros: nothis legitimi ingenio præſtant. Verùm vir factus es, & cœlebs vixiſti (ais) incorruptâ virginitate, integrâ etiam valetudine, nec te jam movet libidinis œſtrum: noli uxorem ducere; quæ juvenum connubium ſequuntur commoda, rarò obtinent qui ſub virili ætate nuptias ſibi volunt parari; ſi quæ ex veneris abſtinentiâ paſſi ſunt ſymptomata, nec iis ſemper medetur tardius connubium. Cum & quædam ubi ingraveſcere cœperunt fiant ἀνίατα. Non habent ſenes quod vereantur deſpectam & relictam ἀφροδίτην, cui jam propemodùm nequeunt litare citra vitæ diſcrimen: corpus ætate provectiori fractum ac debilitatum, peſſumdant ludo amatorio: nec connubii delicias, cum incredibili morum & ſermonum ſuavitate conjunctas delibant difficiles & moroſi facti. Vir ſenex ſenem uxorem ducit! omni prole conjugij firmiſſimo præſidio deſtituitur. Vir ſenex puellam connubio ſibi jungit! jam non ipſa viro, ſed vir puellæ nubit, cujus vile fit mancipium; ſi prolem, ſuſcipiat, hæc imbecilla erit ac brevioris ævi: quæ dum per aliquot dies, vix firmâ fruitur valetudine, infelicem patrem perenni diſcruciat ſollicitudine, eo graviore, quòd & paterni interitûs ſit prænuncia. Juvenes tantum crede beatos & longævos, qui ſtatim convolant ad nuptias: non verborum obſcœnitate, ſed jucunditate colloquiorum & motum ſuavitate, omnem vitæ moleſtiam abſtergent; dum læti naturæ ſacra faciunt, declinant quos parit affectus ſemen in veſiculis coercitum: ut hinc longævitatem eos aſſequi meritò quis ſibi perſuaſum putet; non alienis ardent amoribus, qui longo uſu domeſticos colere aſſueſcunt: nec priùs quàm uxorum jucundâ conſuetudine uterentur, meretricum fucis & fallaciis capti fuêre; filios omni ſorte beatos, ſanos & vivaces ſuſcipiunt, quos ingenuè ac liberaliter educant, bonis artibus & diſciplinis inſtituunt, ad omne debitum officium inſtruunt, ad honeſta munia promovent, nec non etiam compellunt ad connubia; unde perfunduntur miro voluptatis gaudio, dum filios filiorum in circuitu menſæ circumſpiciunt. Gratis demum oſculis & amplexibus liberis non furtivis, ſanctiſſimo amicitiæ fœdere, ſtudiorum conſpiratione, voluntatum concordiâ, mutuis officiis (quibus potiſſimùm amor confirmatur adjunctâ conſuetudine) & bonorum communione, vel novâ acquiſitione, quæ ſuperſunt ætatum vices, ita læti metiuntur: ut tandem ad ultimam ſenii metam felices producant annos.

Vivunt ergo longius ac felicius qui juniores ineunt connubium.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus Afforty.
M. Nicolaus de Iouvanci.
M. Nicolaus Raveau.
M. Ludovicus Gallais Chirurgiæ Profeſſor.
M. Franciſcus Goüel.
M. Petrus Creſſé.
M. Petrus de Merſenne.
M. Ioannes Garbe.
M. Paulus Courtois, Regius Profeſſor.

Proponebat Lutetiæ Pariſiorum FRANCISCVS GIRARD Bleſenſis. A. R. S. H. 1675.